



**R. P. Ferdinandi De Castro Palao, Legionensis Soc. Iesv,
Sacrae Theologiae Professoris, Et sanctae Inquisitionis
Qualificatoris & Consultoris; Operis Moralis, De Virtutibus,
Et Vitiis Contrariis, In ...**

Continet Tractatus De Conscientia, De Peccatis, De Legibus, De Fide, Spe,
Et Charitate

Castro Palao, Fernando de

Lugduni, 1669

3 De modo procedendi in hæresis crimine per denunciationem.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76540](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76540)

se velle subire, acquiescat Inquisitor, & accusatio proponatur in scriptis, iuxta textum in capite 1. 2. quaestio 8. ibi, Accusatorum persona nunquam recipiatur sine scriptis. Sed hoc scriptum iustitiae, si fiat a Notario proposita quicquid ab accusatore coram iudice; quia in hoc crimine procedi potest summariè, de pleno, & absque strepitu iudicii. cap. fin. de heretico, in 6. & tradit Pegna dicto comment. 14. versio. ubi autem Paramus de orig. Sancti Inquisitor. lib. 3. quaest. 9. num. 10. Fatinaeus num. 42. Insuper hic accusator non est obligatus se subscribere ad penam talionis: tum quia hæc poena in ceteris criminibus sublata est; ne crimina crescant, si è republica tollantur accusatores, vt verè tolluntur ex parte, si timent in probatione deficientes hinc poena subiectos esse, vt latius probat Couarr. lib. 2. variarum, cap. 9. num. 1. Simancas de catholice instit. titul. 64. num. 93. Rojas singul. sibi. singul. 6. Pegna supra versio. bis postu. Tum etiam, quia in hoc crimine non est necesse subscriptionem facere, cum in eo procedatur summariè, & absque figura iudicii, ex cuius concessione hæc subscriptio tollatur, vt bene notauit Pegna 3. part. quaest. 55. comment. 104. versio. itaque. Param. de orig. Inquisitor. lib. 3. quaest. 4. rubr. de forma, & ordine iud. sancti Inquisitor. non. 16. & 17. & quaest. 9. num. 12. Fatinaeus quaest. 185. num. 35. At etiam ad penam talionis accusator non se subscribit, ac proinde illam subire non debet, nihilominus si defecerit in probatione, & grauius puniendus est arbitrio Inquisitorum, quia habetur vt calumniator, & tanquam calumniator, puniendus est, sic docuit Rojas supra singul. 8. Pegna 3. part. comment. 14. versio. ex his. Fatinaeus num. 37. Non tamen caret probabilitate poena talionis puniendum esse, si ex multis probatum fuerit innocenter se accusasse iuxta constitutionem Pij V. quæ est eius 5. in Bullario: vbi statuit Pontifex denuntiantem per calumniam ad penam talionis esse subiectum, quod à fortiori dicendum videtur de accusatore, & notauit Fatinaeus num. 39.

3. Sed quid dicendum, si ad penam talionis se subscripserit, & in probatione defecerit, crimine puniendus ea poena cum ipse sibi eam voluerit imponi?

Respondeo cum Pegna in supradict. comment. 14. versio. sed quid, & Fatinaeus num. 37. adhuc eam subire non debere, sed mitius puniendum esse. Non quia dignus non sit, sed quia Ecclesia vult misericordiam cum illo exercere, & non rigorosam iustitiam, iuxta textum in cap. super his, de accusationib. lib. 4. extraneam penam, secundum arbitrium iudicis discreti circa vinculum inscriptionis est excipiens adfringendus, defecerit in probando. Item testis falsus nunquam punitur talionis poena, sed minori, quam testificans subiret, si verum esset crimen obiectum. Ergo idem de accusatore dicendum est, cum minus noceat accusator, quam testis. Quod certissimum est, casu quo accusator vnum testem produxisset, aut saltem probasset se à fide dignis audiuisset; quia tunc dici non potest integre in probatione defecere, cum saltem ex parte delictum probet, sic ex Bart. Baldo, & aliorum per Pegna dict. comment. 14. dicens esse legitime obseruandum.

4. Modus autem instituendi hanc accusationem tradit Eymericus 3. part. direct. num. 67. & ibi Pegna num. 71. rubr. de modo continuandi processum. Ludouicus à Paramo de origine sancti Inquisitor. lib. 3. quaest. 9. num. 17. & supra num. 93. aduertit esse necessarium in accusatione exprimiti locum loci, vt loquuntur Canonice, id est, specialem locum, vt v. g. domum Ecclesiam talis ciuitatis, & tempus præcisum commissi criminis, sed tantum mensuram, & annum, oppidum, & ciuitatem, &c. tum ne accusatus in notitiam testium, antequam producantur, denuntiet: tum quia solemnitates Libellorum, & de accusationibus non sunt in hoc crimine obseruandæ necessario, & sicut de heretico in 6. At etiam in accusationis libello non exprimitur locus; dies præcisus commissi criminis: at in capitalis productus ad probationem criminis apponi debent, vt bene ex Decian. tract. crim. l. 5. cap. 28. n. 10. tradit Fatinaeus q. 185. n. 10.

5. Quod si forte, quibus competat accusatio?

Respondeo competere omnibus indifferenter, quia vt optime tradit in lib. Manichæos §. 1. C. de heretico. hoc crimen publicum est, & omnium fertur iniuriam, eo quod in religionem diuinam committatur. Publici autem criminis, & in omnium iniuriam cadentis omnibus competit accusatio, sic Repert. Inquisitor. verbo accusatio, versio. nota quod in isto crimine. Carter. tract. de heret. à n. 107.

6. Hinc sic aduerti infames laicos contra clericum, pupillos, & minores, non tamen sine autoritate tutoris, & curatoris bene tamen filios familias absque patris consensu: alios referens docet Fatinaeus heresi. quaest. 185. num. 23. Excommunicati autem excommunicatione maioris, si denuntiati sunt, vel publici percussores clerici, repellendi videntur, dum in excommunicatione existant, quia in iudicio esse non possunt, ipsique ius peccentibus denegatur cap. in relictis, de iudic. cap. ad in titul. lib. 6. cap. significauit, & cap. cum inter, de exceptionibus, cap. decernimus, de

sent. excomm. & aliis, & tradit pluribus relatis Petrus à Placha lib. 4. delictorum, c. 44. n. 10. Clarus practiarum q. 14. versio. quo nunquid excommunicatio. Carterum credo admitti posse in defectum, argumeto ducto ex cap. in fidei fauorem de heretico in 6. vbi in fauorem fidei ne crimen hæresis maneat impunitum, excommunicati admittuntur in testes. Ergo possunt in accusatores admitti, præcipue cum non putant ius proprium laicium relaxare, quod illis esset negandum, sed petant reparationem iuris publici, & religionis.

7. De inimico autem capitali est grauius difficultas, an ad accusandum in hoc crimine excepto admitti possit? Negat Carter. ir. de heretico, n. 17. versio. à prædictis. Campeg. in addition ad Zanob. tract. de heretico, iur. D. in verbo omnis Eymeric. direct. 3. part. q. 67. versio. respondemus, in fine & ibi Pegna comment. 1. 6. in fin. Ratio esse potest. Primò, quia inimicus non presumitur procedere zelo iustitiæ, sed amore vindictæ, ac proinde presumitur calumniator. Secundo, quia in quolibet delicto, quantumvis grauis inimicus capitalis repellitur à testimonio dicendo, ex textu in lib. 3. & ibi Doctores ff. de testibus, lib. 1. §. præterea, ff. de quaestibus, authent. si testis productus. C. de testibus, sed repulsi à testimonio repelluntur ab accusatione, cap. testes. 2. quaest. 7. cap. sancti. 15. quaest. 3. cap. super prudentia, 12. quaest. 2. & tradit late Decian. tractat. crim. lib. 3. cap. 25. per totum, & cap. 26. n. 1. & segg. Verum creditur probabilis inimicus admitti posse, caute tamen, & vt suspectus, sic Clarus pract. 14. versio. vterius dixi, Gigas de crimine Illesamaie, lib. 2. rubr. qui accusare possunt, q. 6. n. 13. Decian. crim. lib. 3. cap. 25. n. 7. Parilius. conf. 2. n. 54. & 75. lib. 4. Fatinaeus. q. 185. n. 29. q. 12. n. 39. lib. 1. praxis. Probo, quia hoc crimen in omnium iniuriam cedit, vt habetur libro Manichæos. C. de heretico. Ergo prosequens illius vindictam iniuriam omnium censeri debet prosequi, vt pote principalioris propterea. Ergo non propriam. Tum quia si ad hoc crimen accusandum non admittitur inimicus, difficile inuenietur, qui accuset. Tum denique, quia accusator non probat, sed exhibet probationem. Ergo si accusator fidem non faciat, quia non assumitur, vt testis, nulla est efficax ratio illum excludendi, præcipue cum ex illius admissione possit damno publico præcaueri.

PUNCTVM III.

De modo procedendi in hæresis crimine per denuntiationem.

- 1 Denuntiator non tenetur probare: ac si probetur calumniator se denunciasset, grauius puniatur.
2 Forma denuntiationis, & stylus ea seruandus.
3 Facta denuntiatione Inquisitor procedit non ad instantiam partis sed ex officio.
4 Admittuntur in hoc crimine ad denunciandum omnes, tametsi absentes, debent tamen litteras subscribere.

1. Hic est vltimus modus in hoc crimine procedendi, cum denuntians non sit ita periculosus, vt pote qui ex consuetudine recepta non subeat probandi onus, sed iudici hanc obligationem remittat, vt bene dicit Eymericus 3. part. direct. 3. rubr. de secundo modo procedendi in causa fidei per denuntiationem, n. 68. & ibi Pegna comment. 15. versio. bis per actus. Ludouicus Paramo de origine sancti Inquisitor. lib. 3. quaestio 8. num. 21. & 22. Fatinaeus de heresi, quaestio. 185. numer. 71. Scaccia de iudic. capit. 72. Verum est probare non teneatur, si tamen conueniat falso denunciante, tanquam calumniator arbitrio Inquisitoris puniendus est, quia hic denuntiator, non suam, nec suorum iniuriam prosequitur, sed communem religionis, assumitur in testem ex generali consuetudine inquisitionis, vt notauit Simancas catholice institut. titul. 19. rubr. de denuntiat. num. 17. & tit. 64. rubr. de testibus, num. 55. Repertus Inquisitor verbo accusatio, & verbo testis. Ergo tanquam testis falsus puniendus est. Adde ex sola ipsa denuntiatione, si falsum deponat, grauius lædit delatum, cum aperiat viam iudici inquisitionem specialem aduersus illum faciendi merito ergo puniri debet vt calumniator. Pegna ad Eymericum 3. part. direct. 3. rubr. de duodecimo modo terminandi processum, comment. 40. versio. ad hæc imò ex constitutione Pij V. quæ est eius 5. in Bullaria, versio. monemus præterea, si forte in viridi esset obseruantia, poena talionis puniatur, qui per calumniam probatus sic denunciasset.

2. Forma denuntiationis, & stylus, quem Inquisitores seruare debent in recipiendis denuntiationibus, optime ponitur ab Eymeric. 3. part. direct. num. 68. & ibi Pegna comment. 15. In primis enim denuntiatio facienda est in scriptis, vel saltem verbis, quæ à Notario in scriptis statim redigantur, vt tradunt

DE
US
TR
ALAY
TOM.
III.

supradicti Doctores, & confirmat vsus. Secundò debet iurare denuntiationem factam. Tertiò est conueniens, vt talis denuntiator recipiatur presentibus honestis personis, iuxta *cap. vt officium, de heret. in 6.* consuetudine obseruatum non sit.

3. Facta autem denuntiatione Inquisitor procedit non ad instantiam partis, sed ex officio, examinando testes, quos denuntiator allegauit, vel alios, ex quibus veritas cognosci possit. Quòd si denuntiator testes alios non nominet, sed solum ipse de visu deponat; non debet Inquisitor statim ad inquisitionem specialem procedere. si denuntiat sit nobilis, religiosus, aut alias non suspectus, ob grauem infamiam inde oborturam, sed matura deliberatione dictum denuntiantis debet expendere.

4. Admittuntur in hoc crimine ad denuntiandum omnes etiam si fuerint abentes, modo proprio nomine, & iuramento denuntiationem firment. Simancas *caus. institutio. tractat. 43. rubric. de ordine procedendi. numer. 10.* Farinacius *quæst. 185. numer. 66.* Quòd si proprio nomine literas non subscripserint, repellenda omnino est denuntiatio, neque alicuius momenti estimanda, quia presumitur falso. Alias daretur occasio improbis probos infamandi, vt bene dixit Simancas in *enchirid. violata religio. titul. 22. rubric. de inquisition. ordin. numer. 8.* Farinacius *numer. 68.* Limitat tamen Paramus de origine sancta *Inquisitionis, lib. 3. quæst. 6. numer. 93.* vt intelligatur, quando in illis literis nulli essent nominati testes. Nam si testes nominentur, existimat posse Inquisitores ad illorum examinationem procedere. Sed non placet limitatio, quia nominatio illa testium non est authentica, sed potius suspecta, vt pote à persona incognita. Ergo non potest sufficere iudici, vt inquisitionem specialem faciat, quæ de se infamationem prærequirit: & ita docet Farinacius *9. 185. numer. 68.*

PUNCTVM IV.

Qua ratione per inquisitionem procedatur.

- 1 Duplex est inquisitio generalis, & specialis & quid ad generalem requiratur.
- 2 Quid ad specialem inquisitionem.
- 3 Ex leuibus iudiciis non est capiendus reus.

Hæc est tertia via, & satis vstrata, qua Inquisitores in causa fidei procedunt. Duplicem Doctores inquisitionem distinguunt, generalem vnã, alteram specialem. Generalis inquisitio est, in qua aduersus nullum delinquentem expressè proceditur; sed solum in genere proponitur, si forte aliqui sint occulti, vt manifestentur. Ad hanc ergo inquisitionem non est necesse aliquam informationem procedere, cum nemini iniuriola sit, & potius ad præcauenda mala reipublicæ & delinquentes coercendos instituta sit. Quapropter ipse Inquisitor saepe in anno hanc inquisitionem generalem facere debet, prout faciunt suis edictis, iuxta textum in *cap. excommunicamus. l. 1. §. adiciamus, & §. ultimo de hereticis.*

2. Specialis autem inquisitio est quando aduersus aliquem specialem, & nominatum Inquisitor procedit; tum ipsum interrogando, tum examinando testes. Hæc autem institui non potest, nisi infamia præcedat, iuxta textum in *cap. qualiter, & quando, de accusationibus & tradit Simancas de catholic. institutio. titul. 44. numer. 8.* Quæ autem infamia sufficiat, non est constans apud omnes. Reputarem orti debere ex grauibus iudiciis. Ex leuibus enim, quæ delicto graui annexa non sunt, moueri non debet iudex ad suspicandum, & dobitandum tam graue crimen de homine Christiano, vt latius diximus, cum de penis, quas incurunt suspecti, locuti fuimus.

3. Vnum tamen est omnino certum, etiam si leuia iudicia, quæ annexa non sunt graui delicto, aperiant viam iudici ad inquisitionem faciendam; non tamen ex illis moueri iudex potest ad capturam rei. Hæc enim captura cum sit ita delinquenti molesta, damnosa, & infamatoria, necessariò expostulat, aut delictum esse plene probatum, aut latrem de illo sint iudicia, dispositionesque vehementes probatæ: imò si est persona nobilis, religiosa, & honestæ vitæ, non debent Inquisitores abque consilio supremi Senatus ad capturam procedere, nisi forte fuga timeatur. sic docet tradit Eymeric. *3. part. director. rubric. de forma examinationis testium, numer. 37.* & ibi Pegna *comment. 17. versicul. ergo in hoc articulo, & 3. parte quæst. 59. comment. 59. com. 108. vers. primus ergo.* Rojas *tractat. de hereticis, 2. part. assert. 1. numer. 1.* & sequentibus Farinacius *de hereticis, quæst. 185. numer. 7.* Simancas *caus. institutio. titul. 16. rubric. de custodia reorum, numer. 1.* & sequenti & præcipue *titul. 43. rubric. de ordine procedendi, numer. 12.* & in *enchirid. violata religio. tit. 25. rubric. de comprehen-*

denis n. 1. & segg. Ludouicus à Paramo de origine sancta Inquisitionis, lib. 3. quæst. 4. rubric. de forma, & ordine iudiciorum sancti officii, n. 30. Sigismund. Scaccia *tract. iud. cap. 44. per totum, & alij committer.*

PUNCTVM V.

De citatione faciendi reo.

- 1 Semper reus citandus est.
- 2 Citari autem debet primò absque causa expressione, si non timeatur fuga.
- 3 Si citatus verbaliter non comparet, capiendus est, si minus citandus causa expressione, & vnica citatio sufficit, ex consuetudine tamen trina habetur.
- 4 Citatio non solum ad contestandam litem, sed magis ad sententiam requiritur.

Quocumque modo inquisitores procedant, accusatione, denuntiatione, aut inquisitione, semper reus citandus verbaliter est, quia eius res familiaris, honor, & vita periclitatur. Quapropter potestatem habere debet se defendendi. habetur *cap. quisquis Episcopus, 4. quæst. 5. cap. venerabilis, de dolo, & contum. & tradit Decian. tract. crim. lib. 5. cap. 32. n. 1.* Paramus de origine sancta *Inquisit. lib. 3. quæst. 4. n. 6.* Farin. *9. 165. n. 154.* Pegna ad Eymeric. *3. part. director. comment. 17. vers. rursus.*

2. In hac autem inquisitione verbali, (de qua loquimur) inquisitus comparet, nec de illo timeatur fuga, citandus est absque causa expressione, solum in genere proponendo, velut Inquisitores ab eo aliqua scire; ne detur occasio capitandi fugam: sic Brunus *tractat. de hereticis, lib. 4. cap. 6.* Pegna ad Eymeric. *de director. 3. part. comment. 33. n. 131.* Paramus de origine sancta *Inquisitionis, lib. 3. quæst. 4. rubric. de forma, & ordine iudiciorum, n. 34.* Simancas *caus. institutio. tit. 43. rubric. de modo procedendi, numer. 12. fine.* Quòd si ex hac sola citatione generalis fuga prudenter timeatur, capiendus est reus omnia verbali citatione, ex textu in *Nullus, C. de exhibendis reis, & l. fin. C. de custodia reorum.* & notauit Pegna *tertia parte director. comment. 17. n. 73. vers. rursus.*

3. Facta hac verbali, & generali citatione, si inquisitus non comparet capiendus est, si (capi potest), si minus citandus non causa expressione, videlicet vt de fide respondeat: iuxta textum in *cap. cum contumacia, de hereticis, in 6.* sic Scaccia *de iudic. cap. 43. n. 9.* Farinacius *quæst. 185. numer. 114.* Pegna *ad Eto comment. 33. numer. 131. vers. sic. fit tamen.* Hæc citatio, si rigorem spectemus, vnica sufficit, quæ tribus æquale, signato termino competenti, & peremptorio ad comparandum, quia nullibi, habetur expressè in hoc casu trinum expostulat; præcipue cum in hoc crimine non ardeat iudex solemnitatibus à iure aliis requisitis. At ex consuetudine aduersus abentem contumacem trina citatio expressè solet, signato in qualibet illarum termino competenti, vt sic proceditur, & sententia magis iustificetur. sic Rojas *ling. 29.* Paramus de origine *Inquisit. lib. 3. 9. 4. n. 65.* Farin. *9. 185. n. 117.* & 157. Simancas *de catholic. institutio. tit. 14. rubric. de contumaciis n. 6.* & in *enchirid. viol. relig. tit. 45. rubric. de absentibus n. 3.* & 4.

Forma seruanda in hac citatione optimè ponitur ab Eymeric. *director. 3. part. à numer. 130.* & à Pegna *ibi, comment. 33.*

4. Non solum ad contestandam litem, & firmandum processum, citatio est omnino necessaria, sed multo magis ad sententiam pronuntiandam. Nec enim valide sententia profertur potest, quin prius reus citetur expressè ad illam audiendam, vt satis colligitur ex *element. sepè, de verborum significat. circa finem, ibi, sententiam definitiuam (citatis ad id licet non peremptorie paribus) profertur.* sic Pegna aliis relatis *3. part. director. comment. 10. 165. vers. rursus, & sequentibus* Paramus de origine *Inquisit. lib. 3. quæst. 4. rubric. de expeditione processus, numer. 19.* Decian. *tractat. crimin. lib. 5. cap. 38. numer. 17.* Farinacius *quæstion. 185. numer. 155.* Carcer. *tractat. de hereticis, numer. 128.*

PUNCTVM VI.

De defensionibus concedendis reo, antequam condemnetur, vel absoluitur.

- 1 Defensionis, exceptiõneque legitima, & tempus aptum ad illarum probationem reo sunt concedenda.
- 2 Sint danda hæc defensiones reo confesso, vel convicto præcipue in dubiandi ratio.